



**Antiqvae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

XVI. De miraculis locorum sectionis & vocationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-64160)

Diximus de insensati hominis sedibus & loci ipsius  
ædibus, quia desolatione visibili testentur inuisibilem e-  
ius interitum: deinceps dicturi sumus ex aduerso, quan-  
ta gloria polleant area certaminis beati viri & locus voca-  
tionis, ut dum locorum illorum reverentia prædicatur,  
quo incolatu[m] martyris anima tripudiet, coniiciatur. Ergò  
vbi incisus est felix sacerdos, locum illum hæc solennitas  
colit atq[ue] hæc immunitas tegit, scilicet ut in altitudinem  
cubiti vnius excretus eminentia sua, fidem ibi sperandæ  
veniæ potentibus promittat: Tum præterea nescit iura  
sæuientis auræ, neq[ue] niue candescit, nec autumno flacces-  
cit; non hyeme gelatur, non æstu torretur; solum verna-  
le decus, & semper virentia grama, cespitem illum iu-  
cundum præbuerunt: vnde etiam fidelium plebs vicina,  
Ecclesiam ibi obfrequentes votiuæ congregationis acce-  
sus, in honorem ibidem triumphantis Martyris constru-  
xerunt. Proinde locus vbi spiritus eius sydeream plagam  
adijt, multo tempore neglectui traditus, & pene obliuio-  
ne obsoletus, hoc modo dignitatè suam vendicauit. Hye-  
mali tempestate, sicut natura est G E R M A N I A, cum to-  
tam terræ superficiem niuum operaret immensitas, sola  
corporis areola tali conditione libera, dum prætereunti-  
bus hac & illac miraculi sui stuporem ingessit, causam pa-  
riter suæ viriditatis, & memoriam obitus beati Martyris  
edocuit. Quapropter & ibi Basilicam posuit fides, qua-  
tenus efficacius animaretur spes, quæ in vtrisque lo-  
cisia votorum fructibus viguit, ut si nume-  
rari deberent, numerantis indu-  
striam premerent.

F I N I S.

ARNOL.